



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1494 usque ad annum 1507

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118448

§. 70. Henricus VII. Henricum VI. Romæ Sanctorum numero adscribi
postulans.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67025](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67025)

Secul. XVI.
A.C. 1504.

§. LXX.

*Henricus VII. Henricum VI. Romæ
Sanctorum numero adscribi
postulans.*

*Bacon. sub
fin. hist.*

Henr. VII.

*Raynald. ad
hunc ann.*

n. 33. & seq.

Harfsfeld.

hist. Anglic.

15. Sæc. 60.

Sub idem ferme tempus Angliæ Rex summum Pontificem supplex rogabat, ut Henricum VI. ultimum ex Lancastrienſium Familia Anglorum Regem inter Cœlites annumeraret, sperabat enim Rex, Eboracenſium nomen Angliſ ad huc magis inſenſum fore, ſi Princeps ille, quem Richardus II. ex Eboracenſi Familia ortus propriis ſuis manibus crudellem in modum trucidaverat, Sanctorum factis adſcriberetur: quapropter Henricus VII. Romam Oratorem ablegabat, qui a Pontifice Maximo hanc gratiam impetraret. Julius II. non quidem plus æquo religioſus, Sacræ Sedis tamen auctoritatem in diſcrimen adducere veritus, ad Angliſ Legati preces obſtupuit; quamvis enim Henrici vita vitiiſ expers, ejusque mors injuſta fuiſſet, nihilominus ejusdem virtutes heroicis, ut vocant, factis claras, ob quas publici Sanctorum honores decernuntur, fuiſſe hand conſtabat, imo eo adhuc vivente, non deerant, qui ejus vitæ, morumque integritatem adeo deprædicatam potius ejusdem ſimplicitati, ingeniique imbecillitati

litati adscriberent: hinc summus Pontifex Legatum, quibus Miraculis Henricus VI. conspicuus esset, interrogat, addens, quod equidem illibatæ vitæ merita ad hoc, ut Deus hunc Regem coelestibus coronis dignum judicaverit, abunde sufficerent, Ecclesia vero, quæ secreta cordium penetrare haud valet, alia Sanctitatis argumenta minus dubia requirat, uti sunt miracula post mortem patrata (*).

Siscnl. XVI.
A. C. 1504.

§. LXXI.

(*) Cum in *lo* Julius Pontifex in suo Brevis hoc anno 30. Maji ad Henricum VII. dato hæc verba habeat: Cum nonnulla miracula intercessione, ut pie creditur, Henrici VI. Regis Dominus operetur, & ad illius sepulchrum frequentia populi confluere cæpisset, item cum in suis literis die 19. Junii datis referat: Dominum illius meritis multa & evidentissima miracula quotidie demonstrare, cum cæci videant, surdi audiant, claudi ambulent ipso Henrico intercedente, cum quo Raynaldus & Harpsfeldius plura ejusmodi miracula speciatim recenseant, nec Papam id interrogasse, nec Legatum hæc respondiße, vero simile est.